

non opponuntur gratiæ. Mortalia quidem peccata delet, sed non omnia, sed illa tantum quorum qui ad hoc Sacramentum accedit, conscientiam, & affectum non habet. Nam qui forte antea non fuit sufficienter contritus, deuotè, & reuerenter accedens, cōsequitur per hoc Sacramentum gratiam, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati ut docet Sanctus Thomas. 3. p. q. 79. art. 3. Et Scotus ubi supra. Et Diuus Ambrosius in lib. de Sacramen. dicit, q̄d hoc Sacramen mortuos viuificat, & sic secundum eum potest conferre primam gratiam, per quam peccata mortalia delentur.

¶ Doceat Quarto Parochus plebem sibi cōmissam alium effectum huius diuini Sacramenti, quod est remissio pœnarum debitarum peccatis. Verum hunc effectum direcē non habet quatenus est Sacramētum, sed quatenus est Sacrificium. Pro quo aduertat, quod hoc Sacramētū simul est Sacrificiū, & Sacramētum. Si consideretur ut Sacramentum, id est respectu illud sumentis, directe nō habet remittere pœnā, quia non directe est institutum ad satis faciendum pro pœna, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Chri-

stum